



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim**

**Innozenz <III., Papst>**

**Parisiis, 1682**

Bartholomeo Cardicensi Episcopo.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-20020**

litterarum illarum penitus \* irritantes, & quem falsasse noveritis litteras supradictas, tamquam falsarium sublato appellationis obstaculo puniatis. Ceterum quia per privilegium felicitis memoriae Celestini Papae praedecessoris nostri, quod nos ipsi perspeximus, libertas ipsius monasterij declaratur, volumus & mandamus quatinus, nisi venerabilis frater noster Episcopus Florentinus infra duos menses in praesentia vestra ostenderit & probarit quare dictum monasterium eadem uti non valeat libertate, perpetuum ei super hoc silentium imponatis, examinantes postmodum electionem ipsarum monialium & electam, & si eam inveneritis de persona idonea canonicè celebratam, ipsam auctoritate nostra sublato appellationis obstaculo confirmetis. Datum Sorae pontificatus nostri undecimo.

**BARTHOLOMEO CARDICENSI**  
*Episcopo.*

**I** Vtis petentium desideris &c. usque complere. Eapropter, venerabilis in Christo frater, tuis & venerabilis fratris nostri Larissiensis Archiepiscopi super hoc apostolatu nostro porrectis precibus inclinati, auctoritate praesentium inhibemus ne quis super beneficio Cardicensi & Valestino, quod idem Archiepiscopus provida tibi liberalitate concessit, temerè te molestare praesumat. Nulli ergo omnino hominum &c. paginam nostrae inhibitionis infringere &c. usque contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit &c. usque incursum. Datum Ferentini 11. Nonas Octobris, pontificatus nostri anno undecimo.

**PATRACIENSI ET THEBANO**  
*Archiepiscopis, & Episcopo Feroipilensi.*

**Q** Vanto dilectam in Christo filiam nobilem mulierem relictam Marchionis Montisferrati Dominam Thessalonicae sinceriori diligimus in Domino caritate, tanto eam propensiori studio ducimus admonendam ut hoc modicum corruptibilis vitae tempus cum ea satagat innocentiae puritate decurrere quod ad aeternae beatitudinis mereatur gaudium pervenire. Proinde, licet eam deceat esse circa quaeque opera pietatis intentam, specialiter erga Ecclesias & viros ecclesiasticos eandem convenit religiosam devotionem habere, ut eos immo illum reveretur in ipsis qui se vult in suis honorari ministris, & sine cujus offensa nequaquam illi

possunt offendi. Ad nostram siquidem audientiam noveritis pervenisse quod praedicta nobilis venerabili fratri nostro Archiepiscopo Larissiensis & suffraganeis ejus molesta in pluribus, non solum Abbates & abbatias necnon & Presbyteros de Larissa pariter & Larimorond pertinentes ad ipsos in praedictum eorum detinet, verum etiam Graecis Episcopis contra ipsos, (quod, si verum est, grave gerimus & indignum), ne nobis obediant, favorem suum impendere non formidat. Cum igitur haec nec ab ipsa nobili sine animae detrimento praesumi, nec a nobis sine dispendio possint libertatis ecclesiasticae tolerari, eidem relictæ per scripta nostra dedimus in praecipis ut Abbates cum abbatibus & Presbyteros supradictos memorato Archiepiscopo & suffraganeis suis liberè restituere non postponat nec attentet eos molestare de cetero super ipsis, ab injuria quam ei super praefatis Episcopis immo nobis dicitur intulisse taliter desistendo quod super hoc manum nostram apponere non cogamur. Alioquin, quantumcumque ipsi deferre velimus, quia tamen contra Deum non est homini deferendum, fraternitati vestrae per apostolica scripta mandamus quatenus praefatam nobilem moneatis prudenter & inducere procuretis ut mandatum nostrum adimplere procuret. Alioquin ipsam ad id per censuram ecclesiasticam, sicut justum fuerit, appellatione remota cogatis. Quod si non omnes &c. duo vestrum &c. Datum Ferentini 1 v. Non. Octobris, pontificatus nostri anno undecimo.

*Scriptum est eidem nobili super hoc.*

**LARISSIENSI ET ATHENIENSI**  
*Archiepiscopis, & Episcopo Sithoniensi.*

**E** Xposita nobis venerabilis fratris nostri Thebani Archiepiscopi conquectio patefecit quod Hospitalarij in sua provincia consistentes tam dominos Thebanos quam populum undique constitutum pravis suggestionibus dehortantur quò minus decimas & primitias Ecclesiae Thebanae ac aliis quibus debent exolvant, ipsi eas contra justitiam usurpare nitentes, cumque Thebana Ecclesia non habeat in redditibus nisi nongentos duntaxat hyperperos, praedicti Thebani domini septingentos de ipsis exactionis nomine quae crostica dicitur annuatim extorquent. Unde fit quod non nisi ducenti tantum hyperperi restant Archiepiscopo memorato pro se ac suis Clericis totius anni spatio

D d iij

Pol. 171.  
Rescriptis sub  
protectione a-  
postolica sedis.  
Fidei d. 16.  
103. 171.

Ep. 171.  
De Decimis  
Thebanae  
Ecclesiae sui  
171.

Ep. 171.  
De decimis &  
primitiis Ec-  
clesiae Theba-  
nae.